

diaboli cum aliquoties repetivisset, ibi caudicus omnia jam disputatione forensi adoritur hospitem, et comprehensum per fenestras et medium forum, omnibus perhorrescentibus, cum fragore abducit, nec postea unquam corpus hospitis inventum est. »

Itaque faciamus, quod in hodierno evangelio Christus egit. Primo, abducamus nos a mundo et mundi consuetudine, qui loqui vere nescit, nisi cum juramentis. Secundo, expuamus in terram, id est, contemnamus lucra terrena, ne propter ea acquirenda juremus, vel pejeremus, et hoc ipso amittamus æterna. Tertio, tangamus linguam nostram aliqua pœna nobis præfixa. Quarto, suspiciamus ad cœlum, invocando Dei auxilium. Quinto, ingemiscamus, quando in hoc deliquimus. Sexto, per firmum propositum, dicamus : *Ephphetha, adaperire*. Solvatur vinculum linguæ, ne fiat nobis vinculum gehennæ.

## CONCIO IV.

CUR ALIQUI AD VERBUM DEI AUDIENDUM SURDI SINT; ET QUI ILLI.

I. Magnates et potentes. — II. Qui sibi jam sapere videntur. — III. Qui sæcularibus immersi negotiis. — IV. Qui sibi male consciis. — V. Qui increduli sunt. — VI. Qui malitiose non audiunt.

## THEMA.

*Adducunt ei surdum.* Marci VII.

Quid sibi vult hoc, auditores, quod surdus iste ad Christum adductus est? Numquid enim cæcus etiam vel infirmus fuit qui adduci debuerit? Quidquid sit de hoc, sane moralis surditas, qua respuitur verbum Dei, talis est infirmitas, ut nisi adducantur, qui eo morbo laborant, ad Christum nunquam veniant, sed ad interitum pergant. Quare de illis David, Psalm. CVI. dicere non dubitavit : *Omnem escam abominata est anima eorum, appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Ibi gravem illam ægritudinem, quæ marasmus dicitur, describere videtur; ea enim qui tenetur, solo cibi odore adeo offenditur, ut mori se malle asseveret, quam inde comedere, ut refert Loricus ad illum Psalm. inde fit, ut macie consumptus incedere non possit. Accidit Cassiodorus, in eodem Psalm. *Gravis morbus, inquit, et execranda salamitas, divinæ legis appetentiam non habere. Nam unde possit vivere, si suam vitam ceperit non amare?* Gravis est hic morbus, quia medicinam respuit, et medicum excludit, ideo appropinquat usque ad portas mortis seu inferni, ut exponit S. Am-

brosius, in cap. IX. Luc. Unde sicut medicus ægros illos deserit, ita et Christus istos. *Non audivit populus meus vocem meam,* ait Psal. LXXX. *et Israel non intendit mihi, et dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adventionibus suis;* quia scilicet permittit, ut exquisite reprobi sint, non contenti via ad inferos ordinaria. Quando igitur tanti periculi est hæc ægritudo spiritualis, videamus qui sunt isti surdi et quamobrem.

I. Variis de causis contingit homini surditas. Primo, quidam a nativitate surdi sunt, eo quod natura in matris utero invenit materiam sibi inobedientem, ait Bart. Angl. lib. V. cap. XII. Isti sunt magnates et potentes, qui a puero ad discunt salutaria spernere monita, eo quod obedire non didicerint, cum superiorem non agnoscunt, nec patientur. Atque hæc omnium periculosissima est surditas, quemadmodum et naturalis illa, quæ a nativitate est, prorsus incurabilis, ut refert Anglicus, lib. VII. c. XX. Quæ causa, quod tam pauci, legantur imperatores et reges boni? Nonne dixisse fertur Flavii Claudii imp. stultus, se omnes imperatores bonos in suo sculpturum annulo? ut refert Brus. l. VI. c. XXI. Causam hujus rei, dicit tibi Diogenes, qui aiebat magnates et nobiles, etsi meliores alii non sunt, majori tamen libertate delinquere, quod ob conditionis libertatem, omnia sibi licere autumant, apud Laert. lib. VI. Dicit tibi Pistus ille philosophus, qui aiebat ideo principes initio plerumque bonos esse, quia natura probi sunt; finire autem male, quia non habent, qui eis veritatem dicere, aut disciplinam tradere ausint. Dicit tibi Seneca, qui lib. VI. de beneficiis, cap. XXX. ait : *Monstrabo tibi cujus rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet ille, qui verum dicat.* Unde non dubitavit religiosus ille Alberti I. imp. concionator, imperatorem et proceres conspicatus oscitanter verbo Dei attendere, Viennæ Austriæ pro concione dicere : *Quæritur, an salvari possint principes?* Et re in utramque partem agitata : *Quidni possint, inquit, si modo baptismo suscepto, in cunis vagantes moriantur,* ut refert Æneas Sylvius, lib. III. comment. in Panorm. Non multum hic aberravit ab evangelica veritate; sic enim et pontifices ac Pharisei dicunt : *Numquid ex principibus aliquis credit in eum?* q. d. nullus, Joan. VII. contra vero : *Turba* (Mare. XII.) *libenter audivit.* Qua in re magnates illi per Æsopi fabulam belle depinguntur apud Herod. lib. III. Ægrotabat aliquando leo in fetida admōdum spelunca cubans, ita ut fœtor prætereuntium offenderet nares. Cum igitur ad visendum eum veniret aliquando ursus, interrogatur a leone,

num fœtore speluncæ offenderetur. Respondit hic, ut res erat, non posse se fœtorem illum tolerare, nec diutius persistere. Qui mox ob nimiam loquendi libertatem male mulctatus, vix evasit vivus. Secundus huc venit lupus, qui terribus exemplo ursi, regi assentari cœpit, et de fœtore interrogatus, minime se offendi ait, quin potius eo super aromata delectari. Hunc in frustra mox discerpit leo, ob impudentissimam assentationem. Sequitur hos vulpes, quæ priorum sortem animadvertens, simili interrogationi aliud non respondit, quam ambulasse se in nebulis, et laborare pituita ita ut discernere inter odores jam non possit. Ad vivum ita res habet cum magnatibus plerisque. Aperit quis mentem suam, et loquitur libere, offendit : assentatur, et assentitur, itidem offendit, ita ut vix supersit modus, quo ad virtutis regulam reduci dynastæ possint. Hi enim instar tecti sunt, quod nisi reparatur, putrescunt omnia tigna domus, et quæ in ea sunt : reparatu tamen difficile est et periculo plenum. Sed quidquid sit, reparandum est hoc tectum, curandi sunt hi surdi. Et quomodo curabimus? Innuit in hodierno evangelio Dominus, dum surdum apprehendit, secumque dixit : Apprehendendi sunt magnates, id est, amabili et discreta monitione, necnon prævio exemplo ad frugem adducendi. Sic enim eum quem renuentem conciliare alteri volumus vel ad cœnam nostram ducere, manu apprehensum trahimus. Unde Isa. LV. ait Dominus : *Quomodo descendit imber, et nix de cœlo et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, sic erit verbum meum.* Non comparat verbum suum grandini aut vento urenti, sed pluvie et nivi, quæ sensim, blande et sine offensa decidit in viatorem. Sic Nathan correxit David regem proposita parabola, quasi ad alium directa : sic vir Dei Jeroboam regem immolantem super altare, corrigens : *Altare, altare, hæc dicit Dominus, etc.* III. Reg. XIII. Non ait : Rex, rex : sed regem ex obliquo tangens altare pro ipso increpat. Quemadmodum vero principe iter faciente, non cessat propter ipsum nix aut pluvia cadere, sed in illum æque cadit atque in rucolam : ita norint principes a verbi Dei auditu nequaquam se exemptos. Adduxerunt aliquando ad Christum adulteram Scribæ et Pharisei ab eo condemnandam. At quia et ipsi rei erant, talem in eam sententiam tulit, quia omnes tangerentur, dum singulorum scelera descripsit in terra, ita ut unus post alterum bene madidus abscederet. Joan. VIII. Ut hoc insinuaretur, II. Par. XXIII. cum rex coronatur, una manu diadema ei imponitur, altera liber legis traditur.

II. Alii surdi sunt, quia post somnum et insomnia aures eorum ligantur. Et hi non alii sunt, quam qui sibi soli sapere videntur, nec aliorum egere monitis. Persimiles hi sunt Heli sacerdoti, qui videre nisi extincta lucerna non poterat, I. Reg. III. suoapte enim lumine videre sibi videntur; alienæ doctrinæ lumine, etiam cæciores fiunt. Dormierant non procul a se invicem Heli seniculus, et puer Samuel. Et tamen voce a cœlo delapsa, audivit eam Samuel, non audivit Heli, (potuisse autem audiri etiam ab Heli, inde patet, quod Samuel putabat vocatum se ab Heli). Nimirum Heli somno oppressus vocem non audierat; audivit Samuel, quia vigilabat. Ita profecto innumeri sunt, qui ad verbum Dei obsurdescunt et lucernam verbi Dei ab aliis prælatam intueri nolunt, quia sibi ipsis magis acuti et sapientiæ veterani videntur, somniantque se digito cœlum tangere, et intrasse in thesauros nivis et in profunda maris, ut dicitur Job, XXXVIII. et interim fit ut in cæcitate sua persistent, et revelentur parvulis, quæ absconduntur sapientibus, quemadmodum revelatum fuit Samueli, quid Heli sit eventurum, quod celatum isti fuit. Habuit suos asseclas Heli scribas et Phariseos, unde dicunt Joan. VII. *Numquid ex Phariseis credidit in eum aliquis? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.* Sed : *In me sit hæc maledictio,* ait Augustinus, quia signum potius benedictionis est verbum Dei audire et credere : maledictionis vero non audire, juxta Deut. XXVIII. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, maledictus eris in civitate, maledictus in agro : maledictus eris ingrediens et maledictus egrediens.* Sed quod his medicamentum apponemus? Excitandi sunt somniantes isti voce Christi : *Ephphetha* quod est, *adaperire*. Adaperire autem significat valde vel magis aperire. Igitur o sapientuli, adaperiamini : etsi enim sapere vobis videmini et scientia pleni esse, magis tamen et amplius aperite aures ut magis impleamini, juxta id Proverbiorum I. *Audiens sapiens sapientior erit.* Sane viri sancti et vere sapientes monita salutaria etiam a rudioribus libenter acceptabant. Sic Franciscus voluit et præcepit, ut a fratre sæpius objurgaretur, tamquam mercenarius esset et inutilis servus, muneri suo non satisfaciens, ut est in ejus vita. S. Chrysostomus monitus a muliercula ut subtiliorem in dicendo deponeret stylum et planiores diceret, quo a rudioribus etiam intelligeretur, e vestigio paruit, idque deinceps consecutus est, ut vulgo *os aureum* diceretur, Metaphr. in ejus vita. Quis Mose sapientior? Et hic tamen, a Jethro, homine multo se rudiore, admonitus, salutare consilium



accepit, Exod. XVIII. Somniabat Nabuchodonosor et praevidebat parata sibi mala, nec tamen inde conversus est, nisi postquam viva Danielis comminatio accessit, Dan. IV. Petrus viva voce convertit tria millia; cum si ea, quae dixit, homines illi legissent in libris, forte ne unus quidem conversus fuisset. Paulus eruditus erat in lege: *Ad pedes Gamalielis* (Actor. XXII.) *et proficiebat supra modum.* (ad Gal. I.) sed non prius, quam viva Christi voce conversus est, Actor. IX. David, cui occulta sapientiae divinae manifesta erant, (Psalm. L.) curatur a peccato, non per se, sed per alterum prophetam in se detonantem, II. Reg. XII. ad eum scilicet modum, quo aeger quispiam medicus, non sibimet medetur, sed ab altero curatur: vel quo marini pisces, ut Clemens Alexandr. lib. I. Strom. scribit, licet in salso semper vivant, sale nihilominus ad condiendum indigent. Igitur si quis sibi salsus, vel etiam sal terrae videtur, magis saliat; si quis scientia plenus, adaperiatur ut magis impleatur.

III. Alii surdastris fiunt, ob vehementiorem sonum aures percipientem, quo modo (Ambrosio, in hexam. apud Anglic. lib. III. cap. XVIII. et Seneca, lib. IV. nat. quæst. c. II. testibus) Nili strepitus in ortu suo populos surdos facit. Hujus generis sunt, qui saecularibus immersa negotiis et tumultibus ita obruuntur, ut spiritualia non percipiant: quemadmodum Hebraei, dum Aegypti oneribus opprimerentur, ut ex libro Exodi patet. Monente enim Mose, ut egredierentur in desertum: *Non acquieverunt ei propter angustiam spiritus et opus durissimum*, Exod. VI. Unde ait ibidem Moses: *Ecce filii Israel non audiunt me: et quomodo audiet Pharaos?* Moses cum ad populum convertebatur, velamen super faciem ponebat: cum ad Deum convertebatur, deponebat velamen, Exod. XXXIV. Sed quis aversus, qui conversus? « Omnis, qui dum concio fit, (inquit Origenes, hom. XII. super Exod.) de negotiis saeculi, de pecunia, de lucris, de gloria saeculi et mundi honoribus sollicitudinem gerit, aversus est. Sed quid est converti? Si his omnibus terga vertamus, et studio et actibus mente et solitudine verbo Dei operam demus et omisimus omnibus Deo vacemus, hoc est conversum esse ad Dominum. Sed quid de illis qui in remotioribus dominicae locis domus saecularibus fabulis occupantur? De his ego ausus sum dicere, quia non jam velamen super cor eorum, sed paries quidam et murus est potius. » Hæc ille. Quid faciendum his surdastris? Quod Dominus fecit surdo, abducendo eum seorsum a turba. Molitor ut loquentes audiat, e molendino

exit: ita ut vocem Christi audias, e gyranthum curarum strepitu exeat necesse est: *Quem docebit scientiam, ait Isaias, cap. XXVIII. et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberribus: et Ose. II. Ego lactabo eam et ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus.* Sic enim et Moyses, postquam ad interiora deserti misisset suum gregem, vidit et audivit loquentem sibi Dominum, Exod. III. Unde Bernard. serm. de obedientia, patientia et sapientia: « Studeamus (inquit) furari aliquando nosmetipsos et a pessimis occupationibus istis surripere, vel ad horam, jaculari animos, vibrare corda in id quod suum est, etc. » Dicamus cum Samsone, Jud. XVI. *Egrediar et me excutiam.* Egrediar e molendino, excutiam me a sollicitudinibus hujus saeculi.

IV. Alii surdi fiunt, cum ex ulcere aut apostemate aures patiuntur, ut scribit Anglicus, lib. VII. cap. XX. quia enim læsum est organum, non admittit sonum. Huc pertinent, qui cum sui quorundam flagitiorum, metuunt ne carpantur et pro concione perstringantur; hoc enim tolerare nequeunt. Unde Ecclesiast. XXI. dicitur: *Audivit (verbum Dei) luxoriosus et displicebit ei, et projiciet illud post dorsum suam.* Nimirum sola verbi Dei recordatio ejusmodi ulcerosis poena quaedam est: sicut qui nausea laborantes ipso cibi aspectu torquentur: idcirco post tergum rejicitur verbum a corrupto animo. Idem confirmat Sapiens, Prov. XVIII. *Non recipit stultus verba prudentiae, nisi ea dixeris quae versantur in corde ejus.* Nec mirum: « Quomodo enim possunt, ait S. Ambrosius, in Psalm. CXVIII. verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiae? » Suaviter loquebatur Caino Dominus, Gen. IV. *Quare iratus es et cur conceidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies?* Sed nihil tamen profecit; quia Cain gerebat in pectore virus, animum occidendi fratrem. Incepat deinde illum: *Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Sed necdum hic corrigitur, quia ulcus in animo gerebat, quod tangi volebat, occultare conabatur. Similiter Herodes Joannem libenter audiebat, nisi cum libidinem suam taxari ab eo vidit, Marc. VI. Quid igitur his remedii? Ad imitationem Domini, digiti mittendi in illorum aures: perstringenda sunt eorum vitia, ibi enim apponenda medicina, ubi est ulcus: aures istorum ulcerosae sunt, ut vidimus; igitur ulcera illa tangenda. Sic enim hodie Dominus quia aures surdi obturatas esse et oclusas vidit, digitis suis eas quasi perforat terebratque, ut advertit ibi Maldonatus. Sic etiam S. Augustinus dicere auditoribus suis conquerentibus de

inimiam scelerum redargutione, solebat: *Emendate vitam et mores vestros, et ego emendabo linguam meam.* Ut enim non audiendus est ulcerosus, cum in ulcerum purgatione vel ustione reclamatione: ita nec curanda reproborum obloentio, cum salubriter increpantur. Caeterum uti digitos, non manus misit in aures surdi Dominus, ita non nisi discrete corrigenda reproborum vitia, digitus enim, discretionis typus est.

V. Alii surdi fiunt ob inclusum in auribus densiorem aërem, seu ventum aliquem, quia inclusus est, tinnitum et strepitum in auribus concitat, unde videntur aliqui audire semper campanas, tonitrua, aut organa. Et hi increduli sunt, qui iis, quae in concionibus dicuntur, fidem non habent, et hoc ipso palam faciunt se fideles non esse. Unde fit, ut omnia quae dicuntur, inanis strepitus et tinnitus eis videantur. Quemadmodum Joan. XII. cum vox de caelo ad Christum venit: *Et clarificavi et iterum clarificabo*, turba incredula tonitru factum esse dicebat; fideles soli intellexerunt. Similiter Joan. VI. incredulus durus est sermo Christi, cum contra Petrus ibidem dicat: *Verba vitae aeternae habes, et nos credimus, etc.* Ita nimirum incredulis omnia sunt dura et difficilia credita: omnia sunt tonitrua et mera aeris verbera. Quid faciemus istis: non video nisi ut ingemiscamus et miseriam eorum deploramus, quemadmodum et Christus circa surdum hunc ingemuit. Cum enim hi fundamento salutis careant, frustra commonentur ut virtutes amplectantur, vitia abominentur, nisi fide praediti sint. Quare hi, ab eorum instar, recta ad interitum pergunt. Exemplo est dux ille, IV. Reg. VII. qui dum praedictionem Elisaei pro fabula et tonitruo habet, viso prophetiae eventu in ipso introitu portae conculcatus est. Apposito sane supplicio, siquidem et ipse verba Elisaei auribus suis non recepit, sed in ostio quodammodo aurium ea conculcavit. Nec aliter evenit incredulis illis, qui praedicenti sibi Moysi grandinem ingentem, fidem non habuerunt: *Qui enim timuit verbum Domini, de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos et jumenta in domos: qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos et jumenta in agris*, ut dicitur Exod. IX. factumque ut istis omnia perirent, non illis. Denique, si remedium hic quaeratur, oratio esse debet, ut increduli illuminentur: sic enim et Christi gemitum orationi junctum fuisse docet eo loco Theophylactus.

VI. Alii denique voluntarie et malitiose surdi sunt, qui ultro ocludunt aures ob certum aliquod odium, quod habent erga monentem. Qui Psalm. LVII. dicuntur: *Aspides surdae et obturantes aures suas, quae non exaudiunt vocem incantan-*

tium, et venefici incantantis sapienter. Incantator in Ecclesia concionator est, qui sancta et utilia suadet: sed quemadmodum aspis ob naturale hominis odium, aures suas obturat, alteram cauda, alteram terra ut scribit Isid. XII. orig. cap. IV. ita multi lymphato quodam in doctores odio aures ocludunt suas, ne incantationem illorum quantumvis sapientem audiant. Sed quo id artificio? Partim cauda propriae turpitudinis, partim terra alienarum sordium, dum ea tantum, quae in concionatore culpabilia sunt considerant et exaggerant, juxta id Jer. VIII. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos.* Pugnabat cum hujusmodi regulis S. Stephanus, Act. VII. *At illi continuerunt aures suas et impetum fecerunt unanimiter in eum.* Qui etiam mordebant, dum: *Submiserunt viros, qui dicerent se audisse eum dicentem verba blasphemiae*, Act. VI. Sed quid dabimus remedii istis? Suspiciebat in caelum Dominus, quando surdum hunc curabat: ita quoque faciet qui sine proprio affectu, sive ob praedicatoris vitia, spernit illius monita. Caelum aspiciat, unde verbum illud fluit, non personam per cujus os manat. Ut enim is qui litteras a rege per tabellarium accipit, non curat tabellarium nobilis sit an plebeius, sordidus an elegans: sed litteras osculatur et nuntium honorat, quia regis sunt. Similiter et aeger consilium a medico petens, sollicitus non est si medicus ipsemet aegrotet; ita par est facere eos, qui verbo Dei et indigent et monentur. Insaniretis mercator, qui vinum empturus, aut frumentum, magis respiceret ad dolium et saccum, quam ad vinum et frumentum. Talis utique est, qui ad praedicatorem magis attendit, quam ad Dei verbum. Quod si in terram aspexeris, facile in concionatore invenies terrae quaspiam sordes, quibus aures tuas ocludas. Quid enim si terreni homines, terreni quidquam contrahant? Ad haec nonne lima limando hebetatur? Lyra lyrando atteritur? Horologium aliis horologiando enervatur? Quid mirum si quandoque director dirigendo? Quare auditores, caveat sibi quisque ab hujusmodi surditate: adaperiat potius aures suas monitis salutis, ne ad surdas illas aspides, quibus in aeternum non est incantatio, aliquando amandetur.



## CONCIO V.

MEDIA, UT OPERA NOSTRA BENE FIANT.

I. Fiant juxta Dei voluntatem. — II. Fiant bona intentione. — III. Fiant in charitate. — IV. Fiant studiose. — V. Fiant fortiter et constanter. — VI. Fiant quasi in conspectu Dei.

THEMA.

*Bene omnia fecit. Marc. VII.*

Scribunt veteres (Plut. in Pericle, et lib. de mult. amic. et alii) Zeuxidem, eximium pictorem, Agatharcho itidem pictori, cum hic gloriaretur se citissime pingere, argueretque tarditatis Zeuxidem, scite respondisse: *Tu tempori, ego pingo æternitati.* Opera nostra bona, auditores, quæ ex lege et ratione religionis christianæ peragimus, quid aliud nisi picturæ sunt, quibus Dei oculos oblectare, et vitam æternam promereri volumus? Magno igitur studio, magna diligentia perficienda sunt; quia Deo, quia cælo, quia æternitati pingimus. Dicant, quidquid velint, sæculi amatores, qui hisce imaginibus exiguum aut nullum impendunt studium, soli mundo vacant; quia ipsi tempori, nos æternitati pingimus. Docemur autem hoc in hodierno evangelio; ubi Christus forsitan ideo tardius et pluribus adhibitis morulis ac cæremoniis sanavit surdum et mutum, ut doceret nos bona, quæ facimus, bene et accurate facere; quo nimirum et ipsi audire aliquando mereamur, quod ipse hodie audivit: *Bene omnia fecit.* Qua vero ratione opera nostra bene facienda sint, nos videbimus.

Isaias, cap. VI. vidit Seraphinos sex instructos alis coram Dei throno. Quod si opera nostra bona, sex etiam alas seu conditiones habeant, poterunt haud dubie ad cælum evolare.

I. Ala, fiant juxta Dei voluntatem. Hæc sit velut regula nostrarum actionum, semper respicienda. Quemadmodum enim faber murarius et lignarius ad regulam et perpendicularum omnia sua opera struit; ita Christianus singulis operibus suis applicet hanc regulam, an sint Dei voluntati conformia. Hinc Gregor. I. VI. mor. ait: *In cunctis quæ agimus, vim supernæ voluntatis inquiramus*: et Ammon abbas, apud S. Ephrem, tom. II. in c. paræn. cap. X. *In quacumque re primum probes oportet, an Dei sit voluntas ista.* Imo hanc regulam præscribit apostolus ad Rom. XII. dicens: *Probetis, quæ sit voluntas Dei bona beneplacens et perfecta!* eaque usus fuit ipse Christus, qui dixit: *Quæ placita sunt ei (Patri) facio semper*, Joan. VIII. Sic famuli regum qualibet hora cogitant, quid placeat regi, quid ipse velit, om-

## CONCIO V.

nesque ejus nutus observant, et ad eos se accommodant, ita ut non tam ire quam volare videantur ad eorum jussa perficienda. Quanto magis id nos debemus Deo nostro? Hujusmodi Dei servus fuit B. Aloysius Gonzaga soc. Jesu, qui dicitabat se lætum mori, nec ullius rei, ac præsertim nimiam austeritatis habere scrupulum, quod nil fecisset, nisi ex voluntate Dei, cujus interpretes erat superior.

II. Fiant bona intentione; pure scilicet propter Deum. Demptra hac conditione, bene fieri nequeunt. Hinc est, quod cæteras creaturas omnes laudavit Deus, simul ac creavit: (*Vidit Deus, quod esset bonum*) hominem vero non laudavit, quia ut respondet S. Ambrosius, I. instit. virg. ad Euseb. c. III. cæterarum creaturarum perfectio consistit in extrinseco: hominis vero bonitas et perfectio posita est in intrinseco, seu in recta intentione operum ejus. « Sicut fabrica, inquit S. Gregorius, columnis, columnæ autem basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt: » et rursus: « Si semel, ait, cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas, et terminus ab hoste callido secure possidetur: quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspiciat, quam veneni dente in radice vulneravit. Summa cura vigilandum est, ne vel bonis operibus serviens mens, reproba intentione polluatur, lib. I. moral. cap. XXXVIII. Prudens igitur arbor fuit sponsa, quæ dixit: *Omnia poma, nova et vetera, dilecte mi, servabit tibi*, Cant. VII. q. d. studui omnia mea opera quasi fructus tibi gignere, et a sinistrae intentionis labe immunes servare. Turpe æstimamus quod sinistra manu porrigimus. Hinc a liberis, qui nesciunt, quid sit inter dextram et sinistram, parentes exigunt dextram: sinistra manus, sinistra intentio: dextera manus, recta intentio est. Fœdantur ergo opera nostra, quando ea Deo sinistra manu offerimus. Hinc S. Aug. in Ps. CXXXVI. ait: « Nonne corripis eum, qui de sinistra voluerit manducare? Si mensæ tuæ injuriam putas fieri, manducante convivia de sinistra; quomodo non fit injuria mensæ Dei, si quod dextrum est, sinistrum feceris. » Hoc autem facit, qui opera alioqui ex se bona, per intentionem malam violat: *Sive ergo manducatis sive bibitis*, inquit apostolus, I. Cor. X. *sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

III. Fiant in charitate, seu ex impulsu amoris divini, non coacte, vel ex timore. Ita monet apostolus, I. Cor. XVI. *Omnia vestra in charitate fiant.* S. Euthymius, utrefert Surius, to. I. dicebat: *Charitas hoc est virtutibus, quod panis sal.* Ut ergo pa-

## DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

nis azymus et sale destitutus, insipidus est; ita opus bonum, quod non fit in Dei amore. Hanc fortasse ob causam præcepit Deus, Levit. II. *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies*; et Christus, Marc. IX. *Omnis victima sale salietur.* Intellexit hoc prudens anus illa, quæ B. Yvoni, designato oratori a Ludovico Pio Gallorum rege, ad sultatum Damascenum, obviam venit, altera manu testam prunis plenam, altera phialam aquæ gestans. Mirante vero illo, quidnam hoc sibi vellet et quærente, respondit anus: « Hoc igne paradisum comburere, aqua infernum extinguere volo. Ecquid, inquit Yvo, tam arduam rem moliris? Ut nemo, respondit illa, in posterum bene operetur præmii spe inductus, metuque pœnarum nullus a scelere desistat: sed ut omnes vero amore, quem Deo debemus, accensi recte vivamus. » Hanc tam gravem piæ anus vocem stupuit et laudavit Sanctus, Jonvil. in vita Ludovici, c. LVII. Non sint ergo mercenaria vel servilia opera nostra, sed ex Dei amore profecta; ita coram Deo suaviter redolebunt. Experientia docet, si vettonicæ floris radici caryophyllum inseras, simulque complantes, flores omnes ejus odorem referre. Ita tota vita nostra, omnisque actio, et sermo spirabit odorem dilectionis Dei, si odoriferum hoc germen cordibus nostris inseramus.

IV. Fiant accurate et studiose, ad hunc vel similem modum. Primo, quasi nihil aliud agendum haberes, præter id, quod præ manibus est. Dæmonis fraus est, dum pio incumbis operi, alia tibi agenda suggerere, ut re ab illo distrahat. Oras? Suggestit studia. Studes? Suggestit orationem aliave negotia; ut neutrum scilicet bene facias. Hunc igitur ut eludas, ad unum id attende, quod agis: reliquorum omnium cogitationem abjice. Hoc sibi voluit Elisæus, cum servum suum misit ad excitandum a morte puerum, IV. Reg. IV. *Si occurrerit tibi homo, inquit, non salutes eum: et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi.* Hoc et Dominus noster quando mittens ad prædicandum discipulos suos, dixit: *Neminem per viam salutaveritis*, q. d. uni huic negotio prædicationis, vobis demandato, intenti estote. « Non salutationis officium aufertur, inquit S. Ambros. I. I. in Lucam, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur, ut quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana. » Hoc denique et ethnici sibi coluere, quando inter sacrificia sua præconem clamare jusserunt: *Hoc age, hoc age*, teste Plutarcho, q. d. ne ad alia nunc intendas animum: sed ad id, quod agis. Quare Christianus, cum orat, cum missam vel concionem audit, cum exomologesin facit, cum eucharis-

IV. PARS ÆSTIVALIS.

tiam sumit, sibimet inclamet: *Hoc age, hoc age.* Neminem salutet cogitationem alio deflectendo; et si ab importuna cogitatione salutatus quodammodo fuerit, non respondeat illi.

Secundo, quasi hæc tua actio sit ultima totius vitæ tuæ. S. Bernardus, in spec. monach. ita monachum instruit: *In omni tempore suo dicat sibi ipsi: Si modo moriturus esses, faceres istud?* Idem sibi quisvis Christianus dicere potest: Si modo moriturus esses, num tam obiter confessionem tuam perageres? Num tam oscitanter orares vel missam audires? Num de mundi opibus, voluptatibus, honoribus cogitares? Videmus certe eos, qui diem et horam mortis suæ præsciunt, veluti reos morte plectendos, vel alios de vita periclitantes, in pietatis opera multo ardentius incumbere, quam unquam alias incubuerint: orant diutius et ferventius, invocant Deum et sanctos enixius, confitentur peccata sua accuratius; communicant devotius; quia nimirum existimant, fore hæc exercitia, vitæ suæ ultima. Quando igitur nos omnes nescimus diem et horam mortis nostræ, jure optimo et salubriter cogitare possumus, id quod Horatius cecinit: *Omnes crede diem tibi deluxisse supremum*; omnes proinde actiones nostras fore nobis postremas.

V. Fiant fortiter et constanter, animoque imperterriti, non tepide vel timide; sed cum certa fiducia, adfore Deum nostris conatibus, et qui dedit velle, daturum et perficere. Eximius in hac re fuit Moyses, qui ad Dei mandatum suspendit contra solem omnes principes populi, qui cum Madianiticis mulieribus peccaverant; effecitque, ut qui prius ipso inspectante sine omni metu aut respectu ejus deliquerant, postea contra tam severum vindicem mutire non auderent, Num. XXV. Paris animi fuit ejus successor Josue, qui difficillima bella Dei jussu aggressus, magna animi fortitudine perduravit: ita ante urbem Hai, non contraxit manum, quam in sublime porregerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai, Jos. VIII. ita solem stare jussit ac fecit, donec ulcisceretur se de Gabaonitis, Jos. X. Petrus quia timide intravit atrium pontificis, cito et facile dejectus est a fidei proposito: contra discipulus alter, quia audacter introivit, tale periculum non habuit. Multum in eo situm est, quo animo et pectore opus aggrediamur, timido an audaci, tepido an fervente. Quemadmodum enim leones (si modo non sint degeneres) sicut ipsi generosi sunt, ita generosos verentur homines et eorum voces horrent, ideoque nolunt limis oculis (ut scribit Plin. I. X. c. LXIII.) aspici: ita et bona opera generose decet aggredi. Refert Cranzius, in Sax. hist. de Henrico comite Holsa-